



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.  
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana  
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1673**

Capitvlvm XXVIII. Pervenit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

**N**ot. vnic. Iudex à quo, non est obligatus vt definiat appellanti terminum prosequendæ appellationis, sed potest si malit in dispositione juris communis causam relinquare secundum ea, quæ dixi in *c. 4. h. tit.* Ita docet *Hostiens. Abbas. Alex. & alij*, & sumitur ex hoc *cap. verb. fas est*; quod facultatem significat, non necessitatem & obligationem, quandoquidem non quidquid Iudicis potestati permittitur, id subiicitur juris necessitati. *l. 44. ff. de jud.* si tamen pars litigans temerè & frustratoricè appellare videatur, tunc malè ageret Iudex, si terminum non definiret. *arg. c. seq.* nam aliqui appellare possunt solùm, vt lites & mandata Superiorum per annum vel biennium protrahant, talibus autem hominum malitiis indulgendum non est. *cap. Plurimque. 17. de prescript.*

## CAPITVLVM XXVIII.

## Pervenit.

## PARAPHRASIS.

**G.** Ecclesiæ Salabrienfis Canonicus cum ab Episcopo suo ad residentiam admonitus fuisset, in appellationem prorupit, hoc cognito Alex. III. mandare idem Episcopo, quandoquidem suspicio est, Canonicum frustratoricè dilationis causâ appellasse, vt eum jubeat vel residere, vel intra terminum ipsi præfinitum iter Romanum versus arripere, tunc verò Vicarium ei constituat in Ecclesia, cui de beneficiorum redditibus congruam sustentationem designet, quòd si dictus Ge. alterum horum adimplere neglexerit, præbendâ suâ eum priuet, & alteri personæ idoneæ conferat.

**Not. I.** Si suspicio sit, quòd appellatio fiat litis tantum protrahendæ causæ terminus à Iudice definiendus est appellanti, intra quem causam appellationis prosequi debeat, dixi de hoc in præcedente cap.

**Not. II.** Si beneficiatus ex justa causa absit, Vicarius interim congrua ei portione assignata constitui debet, si tale sit benefici-

cium, vt residentiam postulet, alioquin beneficiarius priuari posset. de hac re dicitur in *cap. Extirpanda. 30. S. si verò. de præbend. & in tit. de Cler. non residentibus.*

## CAPITVLVM XXIX.

## Consuluit.

## PARAPHRASIS.

Episcopus Ordinarius prohibere voluit, ne Iudæi Christianos vt mancipia tenerent, sed quia Rex Galliarum pro Iudæis se opposuit, & appellare voluit, quæsitum est, num tali appellationi sit deferendum? Resp. Alex. III. propter eiusmodi appellationem à Sacrorum Canonum institutis discedendum non esse.

Simile huic est, quòd idem *Alexand. in Cone. Lat. p. 20. c. 4* scripsit in hæc verba: Cum sacris Canonibus cautum sit, ne Iudæi Christiana mancipia habeant, præcipimus quatenus sublato appellatiouis subsidio anathematis interminatione jubeas publicè, ne quis Christianorum alicuius Iudæi mancipium efficiatur.

## SUMMARIUM.

1. Appellatio, ne id fiat, quòd expressa lege, aut Canone fieri præcipitur.
2. Ecclesiastico iudici competit indirecta jurisdictione erga Iudæos aliòsque infideles, ne quid ab iis fiat, quòd Ecclesiæ fidelium noxium aut indecorum sit.

**Not. I.** Non est recipienda appellatio, ne id fiat, quòd aperta lege aut Canone fieri præcipitur, cum sit friuola & irratio-nabilis appellatio, atque inobedienciæ præsidium foret, si ei deferretur.

**Not. II.** Ecclesiasticus Iudex jurisdictionem exercet erga Iudæos aliòsque infideles indirectè, ne quid ab iis fiat, quòd Ecclesiæ fidelium noxium aut indecorum sit, quâ de re dicitur in *lib. 5. tit. de Iudæis,*

& docui *l. 2. rr. 1. cap. ult. in fine.*

¶ (†) 50

CAPL.